



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Conjugalis fides & amor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

## S Y M B O L V M L X.

Ceyx &amp; Alcyone, in halcyones aves.

II. Metamorph.

## Ethice.

1. Conjugalis fides & amor. 2. Dura prolis educatio. 3. Amor  
in ipso sepulchro. 4. Difficilis delectus matrimonium incuntum.

**C**eyx Luciferi, sideris matutini, fuit filius, Trachiniorum in Thesalia rex. Uxor ejus *Alcyone*, Aeolo nata. Summus extitit amor inter hos conjuges, summa concordia, fidésque. Cæterū arrogantior fuisse Ceyx perhibetur: cui ob generis splendorem, opes, & formam corporis adeò creverant animi, ut se *Iovem*, uxorem verò suam *Iunonem* appellaret, non sine gravi offensione superum, qui variis eum prodigiis terruerunt. Quare cladem sibi aliquam metuens ex Thessalia ad Apollinis Clarii (est autem Claros seu Clarium civitas Joniæ) oraculum, consulturus vaticum Deum, navigare constituit. Uxor intellecto viri periculō, multis rationibus dissuadere iter maritimum institit; sed quanquam omnes ad animum mariti expugnandum arietes, omnésque blanditias admoverat, eum tamen à suscepto consilio revocare non potuit. Navigat ille, & facto naufragio, cum sociis omnibus, mari submergitur. Conjugi de viri fortuna supra modum sollicitæ, apparelt in somnis, squalida mariti facies, qualis marinis fluctibus jactabatur. Territa Alcyone miserabili aspectu, summo diluculo ad mare, unde Ceyx solverat, gradum confert; ubi dum planetibus & lacrimis auras implet, ejicitur in littus vi fluctuum, exanime, & lacerum *Ceycis* cadaver. Quod agnitō, dolore amens facta, è crepidine littoris in subjectum pelagus se præcipitem dat: & in ipso casu, miseratione Deum, in *alcyonem* avem mutatur; Ceyx verò in masculum ejusdem generis vertitur.

## Ethica.

I. (a) Conjugalis fidei & amoris non simulati, paradigma præbent hi conjuges, quorum benevolentia & mutua dilectio, ne violentia quidem

(a) Conjugalis fidei &amp; amoris